

III. *Esdrae* propter praecedentem Librum *Nebemiae* inscribitur II. *Psalterii* titulus est: *Incipit liber ymnorum uel soliloquiorum prophete dauid de christo. Epistolis Paulinis et Canonicis interpositi sunt Actus Apostolorum. I. Job. c. 5. post: spiritus, aqua et sanguis deest, et hi tres unum sunt. Adhaerent: Capitulare* recentiore manu productum ad finem L. IV. *Regum. Index ille Nominum hebraicorum. a prima manu, demum Tabula recentior Librorum in hoc volumine contentorum. Indici aureis literis haec subsunt: Presens uolumen Biblie est Leonelli Vivaldi Geniti d. Barnabe emptum Caffae precio asperorum duorum millium quingentor. a Laurentio Spinula. Laus deo et Sancte Marie Magdalene. Amen. Cultus hic, et praeter παρρηγία jam adducta complures per marginem sparsae notulae satis indicant, magno in pretio et usu fuisse quondam illustri Spinularum Genti tum Caffae five Theodosiae commerciis plurimum florenti hunc Codicem.*

## XXIX.

C. 939 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 611. 8. min. per duas columnas nitidissime aequae ac minutissime perscriptus, coloribusque illustratus, et nuper nobilis Parthenonis *Halae ad Oenum*, praefixa recentiore pictura Universi creationem exhibente continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et *Argumentis*. Post L.

*Nebemiae fol. 247.* reperiuntur duo *Esdrae* apocryphi, qui hic *Secundus* et *Tertius* inscribuntur. *Psalterium* deest. LL. *Machabaeorum* praefertunt *Rabani* Prologos ad *Ludovicum R.* et *Geroldum Archidiac. Fol. 561. Job. I. c. 5.* ad testimonium terrestre in margine alia manu adiectum est: *et hi tres unum sunt.* Ad calcem denique pro more accedunt *Interpretationes Nominum hebraicorum.*

## XXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 71 XIV. Folior. nunc 342. 8. per duas columnas minutissime, sed nitide exaratus, et coloribus illustratus comprehendit sacra *Biblia U. T.* vulgati interpretis, *Epistolis* et *Prologis Hieronymianis* munita ordine *Librorum* consueto. Verum a parte c. 25. L. II. *Paralip.* usque ad *Isaiae* medium c. 63. exciderunt omnia, et iterum finis *Epistolae III. Job.* cum principio *Epistolae Judae* deperit; *Apocalypsis* autem nunquam addita fuisse videtur. Libri *Machab.* praefixos habent notos illos *Rabani M.* Prologos ad *Ludovicum Regem* et *Geroldum Archidiaconum. Actus Apostolorum* inter *Epistolas Pauli* et *Canonicas* interjacent. I. *Job. 5.* adest quidem totum utrumque Testimonium, sed in terrestri verba illa: *et hi tres unum sunt,* punctulis subnotantur. Finem facit, ut solet, *Nominum hebraicorum Interpretatio.*

## XXXI.